DE TYPHO ABDOMINALI DISSERTATIO INAUGURALIS MONTAGNA...

Francesco Montagna



DE

TYPHO ABDOMINALI

Dissertatio Inauguralis

MONTAGNA FRANCISCI

ALENSIS



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII.



441

PATRUO SUO

Francisco Montagna Sacerdoti

PRAECEPTORI AESTUMATISSIMO

MAGNANIMITATE AMORE

AC LIBERALITATE ERGA SUOS

NULLI SECUNDO

IN ANIMI GRATISSIMI INTIMAE VENERATIONIS

ET SEMPITERNAE PIETATIS

MONUMENTUM

EXIGUOS HOSCE PRIMI LABORIS FRUCTUS

NEPOS DEVINCTISSIMUS

SACRAT

NOSOLOGIA.

Typhus abdominalis, typhus gangliaris, typhus intestinalis, febris gastrico-nervosa, enteritis, enteritis nervosa, dothinenteritis, (Bretonneau), Fièvre entéromésenterique, (Pinel), Exanthème intestinal (Andral) Fièvre typhoide (Chomel), Sinoco nervoso (Tommasini) est morbus indolis propriae, in organis abdominalibus, in tubi intestinalis tunica mucosa, in specie autem in centro systematis gangliaris radicatus. Processus typhosus, uti quilibet processus pathologicus, duplici ratione attendi debet, primo respectu ejus productionis, secundo respectu reactionis organismi in principium morbosum.

Productio processus typhosi. Aut per potentias externas, de quibus fusius in Aetiologia tractabitur, ad generationem primariam excitatus, aut per contagium typhosum jam explicatum ad regenerationem conductus, aberrat processus vitalis ab actione normali ita ut venenum producat typhosum, organismum ab externis intrans, peculiares mutationes tum in vita nervorum, quum praecipue in sanguine, ut processus evolvatur typhosus, ponere debet. Per metamorphoses autem istas pathologicas, quae in nervis mere existunt immateriales, in sanguinis foco nondum principium contagiosum ipsum, sed tantum ejus generantur elementa ita, ut principium contagiosum primum post morbi acme qua fructus in textu submucoso collocetur, fere sic uti in serpente venenum nunquam in ejus collocatur san-

guine, sed in aliis locis ad collocationem destinatis inveniri solet. Hanc ante eruptionem in membranis mucosis producti typhosi suspicatam in sanguine materiam, germen vocamus typhosum. Productio hinc contagii primum post morbi ad summum gradum evectionem in membranis formatur mucosis, quin negare vellemus, quod sanguini etiam postea per resorptionem contagii ex ulceribus typhosis contagiosa tribueretur conditio.

Aetiologica autem pervolventi cuique elucebit, quod etiam absque miasmate typhoso per causas internas immediate in organismo germen evolvi potest typhosum.

Quum potentia nocens organismum afficiens ibique mutationes peculiares ponere conatur, fieri non potest ut vita animalis contra influxum deleterium in organismo producti heterogenei non reagat.

Reactio irritabilitatis. Vita irritabilis itaque veneni influxum aut adsimilare aut excernere studens excitat febrim, quae ab initio irritationi et congestioni in membranis mucosis correspondens atque viribus adhuc vigentibus, in primo stadio adparet in minori vel majori gradu inflammatoria, hoc est irritativa aut synochalis. Notandum autem, febrim istam nunquam esse mere inflammatoriam uti ex gr. in pneumonitide, hepatitide etc. sed semper per venenum specificum in sanguine haerentem modificatam et in adynamiam ruere pronam. Quando autem processus typhosus suos jam deponit in membranis mucosis fructus, quo fit ut energia virium frangatur, et quum semper materia typhosa plus minus resorpta novum vitae infert hostem, accidit, ut febris nunc fere semper adsit adynamica et nonnunquam in statum vergens putridum.

Non semper mero eodem procedit pyrexia ordine. Fit saepe ut statim ab initio, per validum influxum deleterium potentiae nocentis aut viribus aegri jam antea fractis, morbus summa incedat cum adynamia, fit quoque ut febris

inflammatoria ad ultimum usque stadium sua monstret vestigia, nonnunquam autem transgressus dynamiae in adynamiam tantum per brevissima vix percipienda duret momenta.

Reactio sensibilitatis. Prius in symptomata nervosa praecipuam in typho posuerant medici attentionem essentiamque morbi in nervoso quaesiverunt systemate; ast recentiores, symptomata nervosa tanquam secundaria et signa reactionis sensiferae in materiam typhosam in sanguine saevientem considerantes, magnam mutationem praecipue in tractando hoc morbo protulerunt. Prof. Schoenlein primus fuit qui haec symptomata per narcosim ex intoxicatione sanguinis typhosa productam explicare tentavit, et eodem tempore cum illo medici Parisienses similem exposuerunt opinionem, quam hoc probare volunt experimento quod deliria et coma franguntur aut ad minimum decrescunt, si chlorum vel gas nitricum per respirationem sanguini traditur; quia hac ratione venenum, typho destructum, narcotica privatur indole. Symptomata nervosa possunt etiam per cerebri hyperstheniam et respective per sanguinis oriri pondus, aut sympathice per intestinorum irritationem; haec autem quae etiam nonnunquam et in typho occurrunt practicus medicus rite distinguat ab istis, quae ab reactione systematis cerebro-spinalis in materiam morbosam provenire solent. Reactio talis sese praesefert in systemate spinali, in sensibus et encephalo. Tremores, subsultus tendinum, spasmi, dolores etiam impetuosi in dorso, in extremitatibus, rheumaticis similes, delassatio summa sunt symptomata graduum diversorum reactionis spinalis. Reactio in sensibus adparet aut cum eorum acumine uti hallucinationibus, myodesopsia, susurru aurium aut cum torpore uti: nepheliopia, baryecoia, cophosi. Status exaltationis animi cum acumine facultatum mentalium, sal in loquendo, inconsueta hilaritas, deliria furibunda et coma

sunt symptomata reactionis cerebralis. Enumerata signa pathologica per totum typhi adparent decursum; ast experientia docet quod in primo stadio multo magis eminent symptomata irritationis intestinalis et congestionis ad encephalon. Si autem processus typhosus jam in certis locis producta posuerit, tunc et symptomata nervosa majori se annuntiant cum violentia.

Etiam reactio irritabilitatis non semper congruit cum illa sensibilitatis; fit enim saepe quod adsit febris irritativa, et symptomata simul nervosa, vel adest adynamia et illa deficiunt penitus, aut in minimo adsunt gradu. Haec disproportio videtur dependere ab intensiori aut minori affectione partim systematis cerebro-spinalis, partim ganglio-sympathici, aut a majori receptivitate aut a majori energia in systematibus ambobus respectu potentiae nocentis.

Patet itaque symptomata nervosa non posse valere catexochen qua symptomata adynamiae, quia etiam cum synocha convenire possunt; quod autem febrim adynamicam saepius comitantur, provenit ex hoc quia hic ex una parte potentiae agunt intensiores, et ex alia, energia in systemate nervoso fracta, ordinario etiam energia systematis psychici ejusque irritabilitas exaltari debet.

Sanguinis per processum typhosum mutatio. Processus typhosus secundum pervestigationes ingeniosorum consistit in craseos sanguinis mutatione, quod jam Huxhami schola studuit comprobare, etiamsi ejus sententiam, quod sanguis putrescit, non possumus amplecti; in vivo enim organismo sanguis putridus statim adferret mortem.

Si vena in typhosis secatur, sanguis erumpit colore atro, notatus, nonnunquam livido vel violaceo, magis est fluidus, difficile coagulatur, placenta parva et friabilis a sero separatur imperfecte, in sero natant sanguinis globuli et cruorina, aëri expositus citissime etiam in putredinem ruit. Pondus specificum minus quam in normali et eo minus quam in inflamma-

tionibus, crusta si post phlebotomiam obducitur non pseudomembranam tenacem, crassam, flavo-viridescentem; sed cuticulam mollem, friabilem vix ultra lineam offert expansam. In stadio acmes maxima adest sanguinis aberratio.

Involucra globulorum in statum dissolutionis abeuntia multa symptomata in morbi decursu, et phlogosi contraria explicare sinunt. Huic sanguinis dissolutioni associat se ejus consumptio citissima; invenitur enim minima nonnisi illius copia in cadaveribus in corde et vasis majoribus vix drachma una saepe invenitur cruoris sordidi, dissoluti, videtur etiam subitanea massae organicae consumptio, ita ut paucos post dies aegri faciem jam ostendant hippocraticam.

Endocardium et membrana vasorum interna rubore tegitur facile abstergendo, qui nonnisi a cruorina dependet dissoluta et transudata, non itaque ab inflammatione arteriarum aut phlebitide, in quo nonnulli typhum consistere putabant, nam jam 21 die ille color evanescit. Signum exosmoseos sanguinis dissoluti est quoque illius brunea exsudatio in membranis bronchiorum; illud fuliginosum velamentum in interna narium facie ad labia, illa brunea glutinosa massa quae obtegit dentes et linguam, color specificus lividus totius cutis externae sunt ejus sequelae. Etiam cadavera typho demptorum facillime putredine corripiuntur.

NOSOGRAPHIA

Stadium prodromorum. In casibus nonnullis symptomata quaedam morbosa antecedunt eruptionem typhi, quae autem non ei adsunt characteristice, nam et aliis morbis imprimis exanthematicis praeeunt febribus; saepe autem ingruit typhus subito sine ullo prodromo in homine vel sanissimo.

Nonnullis diebus ante conspicitur peculiaris in aegri

physiognomia, quae tristis et indifferens evadit, mutatio, accedit insimul virium collapsus, sensuum stupor, adpetitus laesus, diarrhoea per vices recurrens, dolores extremitatum et sensatio anxietatis, ubi aeger ipse percipit se gravem morbum esse exantlaturum. Saepissime incipit morbus cum cephalaea expergefactum jam mane molestante, quae non raro in primo momento offert stuporem, associat se statim febricula quae aegrum lectum petere cogit. Ut autem morbum clare describamus, tria in stadia 1) irritativum 2) nervosum 3) convalescentiae eum distinguere conabimur.

In stadio irritationis: calor corporis adauctus, dolor frontalis, temulentia capitis, ab exordio febris ad finem usque persistens, sensus ardoris dolorisque lancinantis, tendentis nuchae, sussurrus aurium, in baryecoiam cum otitide facile confundendam transiens, apparent. Physiognomia aegri in hoc stadio morbi est peculiariter alterata, oculi non rubentes, lingua humida, rubra, ad radicem tamen strato muci tenui obtecta, sapor oris fatuus, sitis adaucta, simulque de doloribus pungentibus, lancinantibus in inferiori cavi thoracis parte conqueruntur; tussis initio hujus stadii nulla, ast morbi die 6-7 aegrum tussis levis, sicca invadit. Regio scrobiculi cordis tumida, modiceque dolens existit, urinae plerumque sanorum, raro profundo tinctae colore. Dolores artuum ab ingressu jam morbi nimis debilitatorum, pungentes, lancinantes adsunt, tremore eorundem stipati. Cutis calida, tumens atque sicca, pulsus consuetim acceleratus, parvus, mollis, debilis. Symptomata haec circa horam quartam pomeridianam increscunt, ad mesonyctium usque eadem perdurantes intensitate; - haec dein debilitas tremor artuum, deliria transitoria, alvus plerumque diarrhoica, epistaxis, decrementum morbi indicans, subsequuntur. Rubor apicis linguae nunc ad totam extenditur ejus substantiam dein ad fauces atque parietes cavi oris laterales; deglutitio ob levem faucium tumorem difficilis, respi-

ratio normalis, alvus vel diarrhoica vel nulla; quibus dein debilitas magna, tremor artuum intensior deliriaque temporaria se adsociant.

Stadium nervosum sequentibus stipatur symptomatibus diagnosticis: temulentia capitis, et syrigmus aurium increscunt, dolor vero capitis minuitur; aegri trunci instar dorso incumbunt, oculi sunt semiclausi, pupilla dilatata, lingua laete rubra vel nonnunquam livida, sicca, crustis nigris obducta, deglutiendi in hoc stadio difficultas atque sitis adaucta tollitur. Respiratio fit laboriosa, brevis, stertorosa, tussi nimis molestante sociata. Percussione in thoracis parte inferiori sonus obtusus, atque auscultatione bronchophonia percipitur. Pulsus cordis acceleratus et vehemens simul; regio epigastrica sensilis et tumida deprehenditur. Abdomen meteoristicum, resonans, pressioque in intestinum caecum facta dolores producit, alvus fit diarrhoica, urinae sanorum, calor cutis mordax, pulsus arteriarum celer, debilis, mollis. Haec dein agrypnia cum deliriis imprimis nocturnis stipata, exacerbationibus febrilibus omni vespere atque illis symptomatum omni altera die factis, dein adfectionibus nervosis, subsultu tendinum, convulsionibus, trismo, decubitu sociantur; stadio hoc ad 12 usque dies extenduntur unde vel in mortem vel in

Stadium convalescentiae abiens, in quo aegri crisi raro sed consuetim lysi salutantur somnoque tranquillo reficiente; symptomatibus nervosis, tussi, diarrhoea evanitis, debilitate magna susurroque aurium remansis. Nonnunquam crisis forma exanthematis, typhoso non absimilis, adparet. Crisi infausta existente, hepatisatio vel oedema pulmonum, nevroses diversae aegrum, apoplexia, exhaustione virium, paralysi pulmonum, vel perforatione intestinorum, peritonaeitide acuta subsequa, lethaeis sopiunt undis. Individua crisi fausta gaudentia emaciata et nimis debilia existunt, cutis est corrugata, capilli defluunt, abscessus in diversis corpo-

ris partibus consuetissime tamen in capite erumpunt; omnes intellectus functiones sunt debilitatae, adpetitus ciborum est adauctus.

DIFFERENTIAE AB ALIIS MORBIS.

I. *A febri gastrica* qua cum saepius et facile typhus abdominalis commutatus fuit, in eo differt quod in priori sordes linguam obducentes ab initio jam emineant et quod sensus oppressionis in regione scrobiculi cordis abinitio quoque fortior sit, peculiaris vero ille dolor super plexum coeliacum ex integro deficiat, quod febri gastricae cephalaea quidem frontalis non vero obnubilatio, incessus titubans et gravis illa sensus communis affectio conveniant. Ubi tandem dictis symptomatibus quarta die diarrhoeae illae peculiares, dolor in regione iliaca dextera et deliria sese adsociant commutatio utriusque morbi vix erit possibilis praecipue si morbus epidemice grassatur.

II. *Ab inflammatione membranae mucosae* tubi intestinalis difficilior quidem distinctio evadit, imo nonnulli medicorum utrumque morbum identicum esse adfirmarunt. Differunt tamen sequentibus phaenomenis. Enteritidem mucosam diarrhoeae statim ab initio qua primum et constans symptoma comitantur, febris comes erethistica sive sinocha, nulla tandem characteris torpidi indicia quae in typho abdominali jam ab initio se enunciant. Symptomata nervosa in enteritide mucosa ex integro deficiunt.

III. *Phthisis intestinalis*, qua cum adhuc typhus abdominalis commutari posset sequentibus excellit symptomatibus: evacuationes alvinae pus gerunt manifestum, dolor intestinalis vehementior atque intensior est; accedit febris hectica vespertina cum sudoribus nocturnis colliquativis, desunt tandem signa nervosa.

IV. *Febris petechialis* sequentibus a typho differt:

a) In typho abdominali putrido i. e. cum sanguinis resolutione incedente petechiae sunt caerulescentes paucae, parvae, isolatae, in lumbis, pectore et extremitatibus tan-

tum superioribus adparent; febri vero petechiali laborans insigni petechiarum quantitate coloris mox caerulescentis, mox rubicundi toto in corpore obsitus cernitur.

b) Typhus abdominalis in secundo tantum stadio a delirio comitatur, in febri vero petechiali caput ab initio statim obnubilatum est.

c) Typhus abdominalis a gastricis semper symptomatibus exorditur, quae in febri petechiali saepe desunt.

d) Typhus abdominalis est originis miasmaticae, febris autem petechialis contagium pro causa agnoscit.

EXITUS

1. In sanitatem ubi locum habet, tunc circa 14, 21 vel 28 diem crises manifestae adparent quae plerumque septem dies perdurant. Frequentissima crisis per somnum fit, aeger interdum per duos tresve dies vix resuscitandus obdormit atque ab omni periculo immunis evigilat, qui somnus tamquam crisis topica praecedentis delirii loco adparent. Diarrhoeae etiam criticae interdum observantur, quae vero ut hocce dignae sint nomine, pultaceae et faeculentae sint oportet, decrescente simul abdominis tensione. Ubi autem contrarium accidit, lethale habetur signum. Sudores critici rarius observantur, cutis, antea sicca, humida fit sensim sensimque transpirans, erumpente interdum exanthemate scabiei simili, in clunibus unde dein in reliquum abdomen sese extendit. Rarissime autem vehemens nascitur horror subsequente calore et sudore uti post accessum febrilem, morboque finem imponit. Sputa etiam critica interdum in conspectum veniunt, criticae ejectioni post exantlatam pneumoniam similia. Rara est crisis per urinam. Non minus autem frequentes sunt casus, ubi morbus absque crisi manifesta per lysim in reconvalescentiam transit. Morbo etiam feliciter superato, aegrotantes de lassitudine et dedolatione conqueruntur quo in casu morbi reditus semper adhuc timendus erit.

Recurrens morbus malignior semper et quamvis ab initio regulariter decurrebat, modo anomalus fit, putridum induit characterem et stadium gastricum transiliendo a nervoso illico exorditur.

In alios morbos ex quibus consuetissimi sunt: turbae systematis gangliaris, morbique inde oriundi uti hypochondria, hysteria, dysmenorrhoea, vel nascitur dyspepsia cum dispositione in morbos alios. Exitus in febrim intermittentem die 11-17 qua certum sanationis futurae signum a quibusdam habetur.

In mortem, quae nunquam in stadio primo sed die 11, 15, 17, 21 insequitur qui dies etsi critici interdum sint lethales simul dici merentur; atque hi dies impares plurimos aegrorum e medio tollunt. Ipsa mors vario modo accidit: *a*) vel in stadio acmes per subsequutam gangliorum abdominalium paralysim, et quidem inter sequentia symptomata: abdomen elatum meteoristice tenditur, sub pressione in illo loco, cui intestinum caecum correspondet, peculiaris percipitur dolor, alvi evacuationes inscio aegro secedunt sanguine foetente dissoluto intermixtae, facies frigido tegitur sudore, splendor oculorum evanescit, frigent extremitates calente interdum trunco, pulsus fit parvus filiformis, myurus, accedit tendinum subsultus et singultus vel *b*) per morbos secundarios: uti per destruentem parotidum suppurationem per decubitum et febrim hecticam, per irreparabilem jacturam membranae mucosae et quidem secedente crusta, ubi excrescentiae membranae mucosae formatae fuerunt, ita, ut enato ulcere aegrotantes phthisi pereant abdominali; quod inter sequentia fieri soles symptomata. Continuant diarrhoeae materiam purulentam evacuantes, aegri continuum percipiunt dolorem in inferiore intestini tenuis parte, febris hectica fit, vehementi calore vespertino, sudoribus colliquativis antelucanis et pulsu accelerato distincta.

Sectio cadaverum. Cadavera typho abdominali peremptorum

calorem solito diutius retinent animalem, citius in putredinem ruentia, diversaque scrutanti, pro diversitate stadii in quo morbo succubuerunt, referunt phaenomena.

Generatim anomalia eo majori se visui sistit intensitate, quo morbus altiorem evolutionis gradum attigerit, quo magis mors tempore criseos viciniori subsequitur; ideoque intra 15-20 diem mortuis, ulcera intestinorum typhosa manifestissime sunt evoluta. — Serius processu typhoso decrescente, ulcera etiam consolidantur.

Secundum Chomel symptomata in cadaveribus occurrentia pathologica in constantia atque inconstantia subdividuntur. Ad priora adfectio membranarum mucosarum intestinorum, in specie glandularum Brunner et Peyerianarum refertur.

Si mors ante septimum morbi diem sequitur, in tunica mucosa intestinorum tenuium, in specie ad finem eorundem atque ad valvulam coli, maculae rubrae extensionis diversae consuetim tamen 1-3 poll., modice elevatae, marginesque inaequales occurrunt, quae nihil aliud quam glaudulas Peyerianas materia lymphatica infiltratas sistunt - His similes etiam in intestinis crassis inveniuntur, ast minores et pauciores. Contentum glandularum materia tuberculosa emollitae similis est; atque degeneratio haec non tantum glandulas muciparas, sed etiam lymphaticas mesenterii invadit, qua materia infiltrata, rubro-flava, molli, glandulae ad nucis avellane increscunt magnitudinem. Degeneratio glandularum in intestino caeco exordium sumens, sursum ad intestina tenuia, deorsum autem ad crassa extenditur, glandulae etiam mesenteriales penes intestinum caecum de morbo participant, dein ad reliquas etiam extenditur. Aegro decursus morbi 9-10 mortuo, partes infiltratas crusta obtectas videre est; infra quas sanies partes corrodens subjacentes secernitur, in primis in glandulis Peyerianis penes intestinum caecum sitis, rarius in solitariis glandulis muciparis. Formatio crustarum si-

milem cum infiltratione observat typum. In tertia morbi periodo ulcerum contingit formatio, crustae scilicet tenues prima jam decidunt suae formationis die, quas in excretis forma floccorum alborum adinvenire licet, ulcus proserpens relinquentes; haec formam referunt ellypticam vel ovalem, magnitudinis a 2-3 lin. ad 1-2 poll., numerus prout et profunditas eorum variat, nonnunquam ad subjacentem usque textum cellulosum extenduntur, alias totam tunicam perforant intestinalem. Rubor praeterea adest gangliorum non tam laetus, quam in inflammationibus, sed e purpureo in lividum vergens. Easdem vero mutationes totum participat systema gangliosum.

Processu typhi in intestinis decrescente, formatio incipit cicatricum, et quidem a parte ulceris media elevata extenditur versus peripheriam; plenariae tamen cicatrisatio 6 - 8 morbi hebdomade contingit; morte vero hoc exorta stadio, loca ulcerum plus minus cicatrice restituta occurrunt. Tumor glandularum meseraicarum simili decrescit modo, quas rarissime suppuratione destructas observabis. Ulcera etiam laryngis pauciora volumineque occurrunt minora. Organa quaedam, imprimis pulmones atque lien in sphaeram non raro morbi rapiuntur. Pulmones sanguine atro scatentes, hepatisati, aut oedemate vel blennorrhoea correpti adparent; lien volumine est adauctus, sanguine scatet atro, cor flaccidum, renes normales, cerebrum autem sanguine inundatum, inter velamenta exsudatum continens serosum; substantia vero cerebri nonnunquam emollita, rarissime firmioris comparet consistentiae.

AETIOLOGIA

De hac diversae sunt naturae scrutatorum opiniones. Nonnulli transitum status inflammatorii in typhum possibilem credentes magnam potentiarum nocentium copiam

proferunt, inflammationem in typhum permutare queuntium; dum alii causas ejus in influxibus epidemicis ad contagium tantum constitutione epidemica eluctare valentibus quaerunt.

Quoad dispositionem attinet praecipue a typho corripiuntur homines in aetatis flore intra 15-40 circiter annum, pueri et provectiores nonnisi rarissime, plethorici et viri saepius quam graciles et feminae, etiam homines per animi pathemata deprimentia, per vitae angustias, per venerem et labores continuos et graves debilitati, milites itineribus defatigati ad hunc disponuntur morbum.

Docet experientia quod graviditas, tuberculosis, cyanosis raro typho concedunt introitum, cum quo iterum syphilis et medorrhoea lubenter combinantur.

Causas morbi excitantes in epidemicas ac sporadicas dividimus. Ad primas spectant aër humidus, electricitate et oxygenio inops, effluvia putredini faventia uti exhalationes telluricae ex sepulcris apertis, exhalationes paludosae, multitudo hominum in angustis viventium habitaculis; ad posteriores labores corporis nimii, excessus in Venere, in onania, victus vilis, purgantium abusus febresque pertinent intermittentes.

An morbus hic contagio gaudeat? diversa sunt de hac re medicorum opiniones. Qui contagiositatem defendunt sequentia proferunt argumenta:

Homines, uti medici, parabolani et alii plures, quibus cura aegrotantium est munus, quique semper exhalationibus expositi sunt nosocomii, non nisi rarissime et fere nunquam corripiuntur typho.

In nosocomio, ubi in uno cubili plures jacent typhosi, adjacentes aliis detenti morbis non inficiuntur, et occupantes stragula typhosorum quoque ab illo liberi manent. Dantur quidem casus ubi etiam alio morbo correpti si in nosocomium veniunt in typhum iucidunt, ast numerus

eorum est tam parvus ut ex eo ad contagiositatem ejus nullo modo concludere possimus.

Haec argumenta ab aliis sequenti refutantur ratione.

1. Transplantatio morbi cujuscunque contagiosi uti et typhosi ab multis dependet circumstantiis, a dispositione, tutelis contra contagium agentibus epidemiaque ipsa. Intelligimus clare, quare parentes, parabolani, medici aliique aegris praestantes rarius ab illis afficiuntur; quoniam plerumque jam ultra aetatem, quam adgredi solet typhus, sunt evecti, aut quia jam hunc morbum exantlaverunt, aut constitutione sua non sunt dispositi aut jam potentiis typhum generantibus adsuefacti, aut epidemia ipsa grassans est mitior, et typho regenerando minus prona. Fit hoc in circulo familiarum domi, fit in nosocomiis.

2. Quod in nosocomiis non tam frequens dominatur contagiositas, causa adscribenda summae munditiei, mutationi stragulorum diligenti, ventilationi cubilium. Quid dicendum de variolis, quid de scarlatina, quorum contagiositatem vix negaverit aliquis? In propinquo talium aegrorum saepe in nosocomiis jacent alii non vaccinati aut qui scarlatinam non sunt perpessi attamen nonnisi rarissime adficiuntur.

3. Praeterea argumenta memoratu digna contagiositatem probantia refert nobis analogia. Non multi existunt morbi qui nonnisi una vice hominem afficere solent hisque omnibus nemo contagiositatem abdicere valet. Millena autem observatio edocuit etiam typhum sub consuetis rerum circumstantiis nonnisi semel hominem aggredi, etiamsi quoque casus reiterati videbantur morbi, sed tam rari ut vix calculo digni evadere possint. Videmus enim, etiam variolas, scarlatinam, morbillos recidivantes, quin quis affirmaret illas saepe in uno adparere consuetim individuo.

De causa morbi proxima nondum inter se auctores convenerunt; nonnulli in mala sanguinis mixtione, alii in ul-

ceribus intestinorum eam quaerentes, alii in inflammatione membranae mucosae primarum praecipue viarum nec non in eadem affectione integumentorum nervorum cerebrique, imo tum et quando ipsius substantiae encephalicae; alii denique typhum abdominalem febrim venoso-nervosam appellant.

PROGNOSIS

In genere haud fausta est praedicenda quum magna aegrorum pars mortem subire debeat quamvis mortalitas haecce e therapia saepe perversa derivari possit. Medicus quivis rationalis praeter constitutionem specificam in instituenda prognosi etiam genium morbi epidemicum respiciat necesse est, initio atque fine epidemiarum prognosis multo faustior statui potest; si igitur tempore hoc morbi exitus tristis observetur, a praesagio morbi fauste terminandi maxime cavendum quum saepe accidat aegrum jam in stadium decrementi transeuntem inopinate tristi morbi exitu salutari. Si constitutio morbi annua vel stationaria, forma morbi gastrica aut adynamica se manifestet, majus imminet vitae periculum; quod annis quibus Vindobonae medicis studiis operam dabam ego ipse vidi. Prognosis in specie a sequentibus dependet momentis:

Ab aetate; haec etenim inter annum 20. 30 maxime periculosa fomitem hujus morbi frequentissime concipiens, quo magis autem aeger ab aetate supra memorata decrescit eo periculo expositus est minori et quidem adeo ut infantes infra annum 2, senes supra 40 rarissime hocce mulctentur morbo. Sexus nullum videtur praecipuum morbi acquirendi fovere influxum.

A constitutione; individua robusta, plethorica ac debilia animi pathematibus deprimentibus vexata majorem ad hunc morbum fovent proclivitatem.

A vitae genere Potibus praecipue spirituosis indulgentia morbum perferre neutiquam valent, incarcerati, in aëre impuro morari, vel alimentis vilibus vesci coacti, praegresso Veneris atque purgantium abusu, vel exhaustione virium quacunque ex causa orta, insignem ad huncce morbum fovent proclivitatem. Morbi etiam praegressi in prognosi facienda summi sunt momenti; etenim jam ex organismo dudum eradicati, nullum videntur fovere influxum; praesentes prognosim pronuntiant tristem; imprimis scorbutus, delirium tremens, febris, syphilis magis sunt ominosi.

Ab intensitate symptomatum vitae nervosae adfectae. Quo citius collapsus virium ingruit universalis, quo magis physiognomia aegri alteratur, quo citius crocidismus aut carphologia subintrat eo majus suspicari licet periculum. Dein quo major diarrhoeae frequentia, quo major sanguinis admixti copia hujusque major resolutio, prognosis eo statuenda est infaustior; prout et pulsuum frequentia nimia si intensitas eorum simul decrescat. Tussis die 11 subintrans faustum minime vaticinatur morbi exitum; illa vero ex integro deficiens ominis consuetim fausti habetur.— Aeger inaequaliter citate respirans, tussis sicca, ejectionem sputorum non promovens, vel si aeger attractis genubus dorso incumbat spem salutis recuperandae minorem fovere sinit. Ubi lingua ex margine depurata humida fit et rubra, somnus absque deliriis, stertens, profundus subintrat, cutis leviter transpirat, sputaque illis pneumoniae criticae similia sunt, adfectio harmonica omnium systematum, decursus morbi regularis, alvus liquida non nimis frequens, abscessus et exanthemata in diversis corporis partibus criseos prorumpunt tempore, optatum augurant morbi exitum.

A stadio, complicatione et praecipua nonnullorum systematum adfectione multum dependet. Si morbus absque prodromis subintrat, decursum praecipitem nimis periculosum speramus. In stadio irritativo transitus hujus in in-

flammationem est pertimescendus morbosque eaedem subsequos, imprimis pneumonitidem in hepatisationem, peritonaeitidem in formationem tuberculorum, enteritidem in exsudationem transeuntes. Praesagium pronunciant triste: febres periodicae mane in stadio morbi secundo orditae, cui supervenientia symptomata nervosa mortem aegri consuetissime apoplecticam, convulsionibus praegressis, inducunt.

THERAPIA

Ratio typhum curandi est problema unum ex dificillimis pro quoque medico pratico; modificationes in decursu variae atque inopinatae, continuaque eventus morbi incertitudo difficultatis in cura ponunt fundamenta.

Consideranti quod tam diversae opiniones respectu naturae seu essentiae existunt typhi, quod morbus iste sub tam diversis et genio epidemico mutandis adparet formis variosque praecipue ab initio ludit morbos, non mirum erit tantam quantitatem variarum etiam et oppositarum medendi existere methodorum. Sic qui naturam typhi in sanguinis et membranarum quaerunt phlogosi, methodum adhibent antiphlogisticam, qui eam in adynamia solum ponunt roborant, alii stimulant, alii alterant, sunt qui antibiliosam, qui solum evacuantem, qui antisepticam laudant curandi methodum.

Summam tamen attentionem meretur opinio illorum qui contendunt, typhum, uti quilibet morbus exanthematicus, certas mutationes cyclicas subire debere. Determinatio itaque periodi, in qua morbus versatur, ad therapiam rite instituendam magni erit momenti. Duo autem sunt momenta principalia quae medicum in determinanda periodo casus individualis ducere possunt, et quidem primus frigoris febrilis accessus, et, ubi ex febri intermittente evolvebatur, ultimus, quem calor permanens excepit; dein symptomata nervosa quae versus 6.am vel 7.mam diem morbi intrare solent. Quum

itaque typhus abdominalis praescriptum sibi cyclum percurrere debeat, hinc therapiae tantum symptomaticae locus concedi potest. Hinc secundum clariss. Schönlein sequentes indicationes symptomaticae adimplendae erunt: congestionem a systemate nervoso gangliari primitus affecto derivare, activitatem membranae mucosae affectae dirigere, et sanguinis resolutioni, si quae minatur, occurrere. Hinc:

In stadio primo illico emeticum ex ipecacuanha porrigit quod perstantibus saburrae indiciis, post aliquot dies repeti jubet, quum testante experientia exanthematis eruptio eo minor est quo fortiores sunt evacuationes per emeticum inductae. Post subsequutam emesim aquam oxymuriaticam in vehiculo mucilaginoso exhibet. Topicas sanguinis depletiones hirudinum ope in regione scrobiculi cordis tunc nonnisi instituit, ubi haec regio sub pressione intense dolet. Increscente serius dolore in regione iliaca dextera hirudines quoque adplicat, nunquam vero ubi dolor exiguus est, in utraque vero regione dolente fomentationes emollientes, narcoticas institui curat. Diaeta sit antiphlogistica, potus mucilaginosus, non vero irritans.

In stadio secundo. Contra diarrhoeas alumen cum nuce vomica, chloruretum calcis, infusum arnicae cum mucilagine, instante crisi, inspersiones tepidas omni altera die, epispastica ad congestionem derivandam adhibet; atque, in illa typhi abdominalis varietate quae cum sanguinis resolutione incedit, externe lotiones cum aceto et acido sulf. diluto, interne chloruretum calcis et acidum sulf. cum mucilaginosis proponit. Victus in hoc stadio jam magis nutriens esse potest uti juscula carnium cum vitello ovorum; pro potu infusum leve aromaticum, in magna autem debilitate parca quantitas vini generosi adstringentis quae semper cum mucilaginosis permixta esse debet.

Ego vero vidi in clinica medica hujusce nosocomii sub praxi clariss. Pinali tres aegros gravi febri typhoidea laboran-

tes magna cum omnium alumnorum admiratione sanari ope hydrochloratis sodae, quod sal interne cum decocto tamarindorum suppeditabatur, externe sub forma fomentationum tepidarum abdomini impositarum nec non sub clysmatis forma; ceterum nulla alia farmaca administrata fuerunt.

THESES DEFENDENDAE

I.

Lunae phases in metamorphosim organicam suam symbolam conferunt.

II.

Morbus nunquam est universalis.

III.

Medicum non aetas sed experientia peritum facit.

IV.

Ex symptomatum fugacitate rheumatismi acuti nil inferri potest contra ejus indolem phlogisticam.

V.

Educatio fertilis morborum mater.

VI.

Arteriae inflammantur una cum tunica interna.

VII.

Psyche alienatio rara in corpore integro.

VIII.

Contagia sunt producta morbi organisata.

IX.

Absolutum venenum non datur.

X.

Ipse morbus saepe remedium morbi.